

naverit, ita, ut isti sint maneatq; primi & præcipui in toto ministerio Ecclesiastico, quib. superior quispiam Pontifex nunquam fuit à Deo datus aut constitutus in Ecclesiâ: unde quid de Romanorum Pontificum Monarchiâ, adeoq; totâ Papali hierarchiâ sentiendū sit, cuivis pio & Christiano lectori ad oculū patere existimo.

Questio Sexta.

Num Ecclesia Apostolica & primitiva ab œcumenico quodam Episcopo fuerit gubernata.

CCXXIV.

Multum tribuunt Jesuita antiquitati, ita quidem, ut eam pro notâ Ecclesiæ infallibili habeat Bellarm. l. 4. de Eccles. c. 4. Videamus igitur, quale fuerit primum & omnium antiquissimum Ecclesiæ regimen, præsertim tempore Apostolorum, quando quidem juxta Tertull. l. 4. contra Marcionem: Id verius, quod prius; id prius quod ab initio; id ab initio, quod ab Apostolis est.

CCXXV.

Factant equidem Pontificii, apud se solos priscam & Apostolicam Ecclesiæ rationem & gubernationem inveniri; se à Christo continuatâ & nunquam interruptâ serie, Pontifices & Episcopos suos enumerare posse: verum idem iis accidit, q. de Glauco quodam marino scripsit Plato, quod partes in corpore eius nobiliores partim fractæ, partim contritæ, & ab undis penitus dissipatæ fuerint, earumq; loco alia ipsi adhaerent conchylia, alga & lapides, ex quib. nativam & germanam ipsius formam agnoscere vix quisquam potuerit. Pari modo cum Ecclesia Papali comparatum est, quæ quidem Apostolica & primitiva similem se esse gloriatur, cum tamen prorsus aliam diversamq; & multis modis à priscâ illâ differentem formam habeat.

CCXXVI.

Quod ipsum ut clarè demonstratur, primum de Ecclesia Apostolica, post de successivâ agam, ostensurus solidè, Monarchicū primatū & dominatū, qualis & olim obtinuit, & etiamnum hodiè obtinet in Ecclesia Romana, tempore Apostolorū & primorū Patrū omnino ignotū, inusitatū, rejectū & damnatum fuisse.

CCXXVII.

Ut igitur ab Apostolicâ Ecclesiâ initiū faciã, statuunt Pontificii cōmuniter, Petrū omnium Apostolorū fuisse principē, & Ecclesiæ universalem Episcopū, Romæq; sedē fixisse, ita ut postmodū in primatu & Pontificatu œcumenico ipsi succederetur ab Episc. Rom. Et sub hac Petri larvâ

I 3

totum